

024

Handwritten text on a red and white striped background, possibly a library label or title page, partially obscured by the binding.



74

DECANUS
FACULTATIS PHILOSOPHI-
CÆ IN ACADEMIA
LIPSIENSI

Lectorem Benevolum,

salutat,

& ad auscultandam

in Vigiliâ Paschatos

post signum octavæ horæ datum
matutinam Orationem,

in Auditorii Philosophici

subsellia officiosè

invitat.

15.


22



DECAIUS
MAGISTRATUS PHILOSOPH
IN ACADEMIA
IN VIGILIA
MAGISTRATUS PHILOSOPH
IN ACADEMIA
IN VIGILIA

m
m
ho
ill
M
ja
el
m
te
So
q
lu
ri
c
P
ij
j
f
A
&
f
e
s
l
a




Ulneratæ poenitentis hominis conscien-
 tiæ nulla certior afferri medicina potest, quàm devo-
 ta & pia SANGVINIS CHRISTI meditatio. Hic
 enim est, qui mundat nos ab omni peccato *a)*, nec
 melius modò quàm hircorum sanguis taurorumq; sanctificat *b)*, sed
 melius etiam, quàm sanguis Abel coràm Deo loquitur *c)*. Crescit
 hoc solatium, ubi velut ore ad pendentis crucifixi corpus appposito
 illud bibere licet è sacro calice, quod effluxit è *Ἐσται θρόνος* latere.
 Miseram verò in Papatu & nunc & olim conditionem hominum, ubi
 jam ab aliquot seculis nec Laico bibere vivificum illud poculum fas
 est, & anhelantibus conscientis pro sanguine Christi succus è panno
 menstruata *d)*, pro illo aquæ salientis in vitam æternam saluari fon-
 te *e)*, nescio quis putidus liquor è dissipatis cisternis *f)* præbetur.
 Servavit tamen sub istâ Pontificum Romanorum infami tyrannide
 quosdam Deus veræ medicinæ præcones, qui faucis animabus nul-
 lum aliud commendarent pharmacum, quàm quod è Christi vulne-
 ribus exundaret. Satis hîc sit nobis ex ore duorum testium veritatem
 cognoscere. Smaragdus Abbas noni vel decimi seculi scriptor *g)*, in
 Postillâ *b)*: *Christi humilitate mundamur, quia nisi humiliasset semet-*
ipsum, factus obediens Patri usq; ad mortem crucis, non utiq; sanguis e-
ius in remissionem peccatorum, h. e. in nostram mundationem fuisset ef-
fusus. Autor vitis mysticæ *i)*, quæ inter Bernhardi opera legitur:
Bestia corruunt in mortem suam, dulcedine sanguinis humani attra-
ctæ: Ego non festinabo ad vitam meam, & sanguinem rubicundi Je-
su & candidi? Imò verò festinabo: emam & bibam. Properate mecū,
qui diligitis Dominum! Si perfectus, si fortis es, vinum est tibi san-
guis iste, sanguis meracissimus; si adhuc infirmus es, & cui opus sit
lacte, lac est tibi ad nutriendum te. Bibe ergò sanguinem hunc me-
racissimum fide, memoriâ & intuitu spirituali. Quantò cordatior hæc
 & sa-

a) 1. Joh. 1,7. *b)* Ebr. 9,13,14. *c)* Ebr. 12,24. *d)* Esai. 64,6.
e) Joh. 4,14. *f)* Jerem. 2,13. *g)* Dubia enim ejus est ætas. Vid. Labb Tom.
 II. de script. Eccles. p. 361. Qui & duos Smaragdus distinguit, Abbatem à Presbyte.
 ro monacho, quod ante ipsum fecerat & Raynaud. Erot. de malis ac bonis libris
 p. 115. *h)* cit VVolf. Tom. I. mem. f. 261. ubi & alium ejus locum profert, quo
solâ fide & sanguinis Christi effusione salvari nos affirmat. i) c. 33. (Tom. V. oper.
 Bernhard. f. 128. ed. Colon. 1641.

& sanior vox fuit illâ dubitatione, quam Franciscani publicâ picturâ *k)* quondam in templo Patavino sunt professi, cum Monachum sisterent, qui medius inter vulnera crucifixi & lac virginæ Matris procumbens, nesciret, quo se verteret. Quantò fidelior scriptura, quam illa Scribanii Jesuitæ:

Lac Matris miscere volo cum Sangvine Nati l).

Sed exspecta, magis etiam profana percipies. Progressa enim ulterius impietas Pontificiæ gentis, quorumlibet Sanctorum sordes, (quis enim homo, si unum excipias *ἀναμάτητον*, mundus in oculis Dei?) purissimo Christi sanguini non miscuit modò, sed, eventum si spectes, prætulit etiam, donec, eo penitus propè sublato, pro justitiâ divinitus nobis partâ, meritorum humanorum passim regnarent meræ quisquilia. Imò ad fraudes deniq; & sceleratas imposturas res abiit, cum, qui mentis aciem ad Cælites citiùs quam ad Deum flectere condocerati essent, hi etiam cranium undecunq; sublectum pro sanctis de aliquo Martyre ipsanis osculari juberentur. Neq; sic tamen finis offuciarum. Pro ipsissimo Salvatoris sanguine, quem ille vel inter patiendum olim effudisset, vel recentiore prodigio per simulacrum suum aut consecratam hostiam sudavisset, rubigo, resina *m)*, sanguis Draconis *n)*, pictæ guttæ *o)* (horresco referens) obtrusæ.

Nimi-

k) repræsentat eam VVolfius II. mem. f. 823. *l)* integrum Epigramma recitat Reinhold. Derfchovv §. 71. Disp. de Sang. Christi hab. VViteb. Ann. 1661. sub Præsid. Dn. D. Joh. Meisneri. *m)* Præter hostiam in Cracoviensi Diœcesi rubigo in manubrio crySTALLINO derelicta è lamellâ velut sanguis Christi fuit per multa tempora adorata: & ibidem resina defluens ab imagine Crucifixi fuit habita pro sanguine Christi, VVolf. I. mem. f. 689. *n)* Sverini in Mechelburgensi Ducatu cultus est sanguis Christi, qui postea reclusus, & ab aurifabris diligenter inspectus draconis sanguis deprehensus est, Elac. Catal. test. verit. p. 1025. Donaverat illam sanguinis guttam, seu potius cinnabaris (idem hoc cum sanguine Draconis) grumum, Jaspidi inclusam Collegio in templo Sverinensi Henricus Comes Sverinensis, Guncelmi filius, magni thesauri loco acceptam à Legato PP. Pelagio, Cardinale Albanense, cum inter ceteros viros militares Henricus, ad recuperationem urbis Hierosolymæ profectus, egregium virtutis & fortitudinis specimen edidisset, quod singulari premio ornandum esse Legatus censuerat. Is sanguinis grumus singulis diebus Veneris certâ horâ monstratus aperire se, & in tres partes diduci, ac rursus coire spectantibus videbatur. Quare magno hominum concursu annos amplius trecentos cultus est, Hotting. Sec. XVI. Hist. Eccl. pag. 674. *o)* De hostiâ, quam Bernenses Monachi (a. 1509. postea suo merito combusti) depinxerant, deq; vitro, quod plenum miraculoso Christi (scilicet) sanguine personata Maria simplici fratri obtulerat Hotting d. I. p. 391, 392.

Nimirum iusto Dei iudicio factum, ut qui verum sanguinem Christi contemptui habere didicissent, fictitium adorarent. Porro cum ea res, plebe ex disitis etiam locis ad novum quodque miraculum confluente *p*), videretur cohortis raris crumenas haud perfunctorie saginare: nec Pontificum bullarum, nec Historicorum mendacia, nec eorum, penes quos illis temporibus regnum staret literarium, disputationes illi defuerunt: eo tandem operæ pretio, ut plusquam centum in locis *q*) exhiberetur sanguis Christi. Ac Mantuanum quidem sanguinem, qui nono demum post C. N. seculo repertus est, (neque enim citius, quod sciam, genus hoc reliquiarum comparuit *r*), nescio quorum Romanorum Pontificum, quos nec Baronius nominare potest *s*); Wilnacensem, qui anno 1384. eruperat *t*), Papæ pariter & Conciliorum *u*); Xantonensem A. 1461. Pii II. *x*) diplomata confirmaverunt. Fabularum autem magnam ubivis messem est metere. Mantuanum Longinus *y*) (hoc enim nomen faciunt militi, cuius $\lambda\omicron\gamma\chi\eta z$) latus Christo aperuit; Rupellensem Nicodemus chirothecis coactum suis *a*); Sanmaximianum Maria Magdalena cum glebâ terræ sub cruce effossum *b*) attulisse finguntur. Mirum nî & vasculum, quo sanguinem & aquam è latere Christi profluentem à B. Virgine & Johanne exceptum narrat fabulosissimus autor *c*) Nicephorus *d*), alicubi ostendant $\alpha\iota\mu\alpha\tau\omicron\lambda\alpha\tau\epsilon\omicron\alpha\iota e$). Sed hîc eruditos inprimis scrupulus urgebat

p) Talis peregrinatio nominabatur *eine Fahrt des H. Bluts*, qualem etiam illi Bernenses apud Hotting. d. l. instituere meditabantur. *q*) testibus VVolfio II. mem. f. 133 & Calvino de reliq. p. m. 21, ubi & loca quædam nominantur. *r*) neque aliis hîc ascendunt VVolfius & Calvinus d. l. *s*) ad ann. 804. Tom. IX. annal. f. m. 554. *De quâ veritate*, (quod sanguis Mantuanus ille fuerit, qui ex Christi corpore fluxit,) extare dicuntur *sacra diplomata Romanorum Pontificum, ut de his non sit amplius dubitandum. Sed ego non vidi. Egregia Demonstratio!* *t*) Crantz. IX. VVandal. 12. f. 210. *u*) Cum Episcopo Havelbergensi hoc sigmentum quotannis immensam pecuniarum vim pareret, hoc ad Pontificem Romanum detulit negotium, quæsi interveniente pecuniâ illud de nobis approbavit, adeoque eò debitum est, ut etiam è duobus Conciliis, Constantiensi & Basiliensi publicis suffragiis & diplomatis fuerit confirmatum, VVolf. I. mem. f. 690. *x*) ap. Silv. de Prier. Tract. 3. Aur. Ros. q. 31. *y*) id. ibid. *z*) Joh. 14. 34. *a*) VVolf & Calv. ubi supra lit. q. *b*) Silv. Prier. Tract. II. Aur. Ros. fer. 5. infra oct. Paschæ, qui revelationem Magdalene nec in eius legendâ nec in chronicis vulgatam commemorat, & ad annum 1297. refert. Conf. quæ dicemus lit. m. è Cassandro. *c*) iudicio Casauboni exerc. 1. contra Baron. n. 25. p. 69. *d*) I. hist. Eccles. 30. in fine. *e*) conf. quæ diximus lit. o.

bat quidam, non tam bullis Pontificum, quas ipsi sæpè contemne-
 bant *f*), aut legendis Hagiologorum, quæ intactum eum relinque-
 bant, quàm Scholarum disputationibus eximendus. Credebant, à re-
 surgente Christo, ut humanæ naturæ sibi constaret integritas, rece-
 ptum intrà venas & carnes veterem fuisse sanguinem. Neq; malè
 hoc quidem, nisi quòd partim curiosas quæstiones admiscerent *g*),
 partim audaci proterviâ definirent, quid Angelis hoc in opere, quid
 non licuerit *h*). A quâ *περσευρα* sibi temperantes Theologi nostri
 satis habent firmissimis rationibus adversus heterodoxos *i*), revi-
 viscentem Christum, eò quòd cruorem ejus computruisse perperam
 existiment, tanquam unum ex Homericis diis *k*) *αιαίμωνα* facientes,
 ostendere, *sanguinem ipsius non putrefactum, sed in resurrectione cor-
 poris tertiâ die intrà sua vasa & corporis venas esse receptum l*). Hanc
 ergò doctrinam cum & inter tenebras Papales conservasset DEUS,
 magna fuit causa dubitandi, unde tanta effusi olim sanguinis copia,
 si omnem Salvator intrà corpus postliminio recepisset? Ex hoc
 dubio Scotistæ se faciliùs expedivisse videntur, quàm Tho-
 mistæ. Illi enim, quoniam disputabant, gloriosum corpus non
 tanto sanguinis proventu indigere, quanto caducum *m*), quod in
 reli-

f. vid. Hotting. Sect. XVI, hist. eccl. p. 436. *g*) e. g. An, qui in triduo mortis
 Christi communicasset, bibissent sanguinem vivificum? Quid futurum eo fuisset,
 si Christus resurrectionem suam usque ad judicium distulisset? Vid. Sil. Prier. Tract.
 3. Aur. Ros. q. 30. & Derfchovv de Sang. Christi § 57. Qui & §. 14. curiosarum dispu-
 tationum nomine castigat Franc. Collium, & Leonh. Matth. Pontificios de san-
 guine Christi scriptores. *h*) Hubertinus ap. Henr. Herpf. Serm. 54. de temp.
*Mirabile primum ex parte sanguinis fuit, quòd triduo illo fuit à resolutione virtute
 divinâ preservatus, quantumcumq; pedibus conculcatus. Secundum, quòd Angelorum
 ministerio fuit recollectus, quia ubi sufficit virtus angelica, non est necessaria virtus di-
 vina immediatè. Tertium, quòd fuit per divinam potentiam intrà sepulchrum
 clausum introductus, quia tunc oportuit duo corpora non glorificata esse in eodem loco,
 quòd est solius divinæ virtutis, ut dicitur in 4. sent. Quartum, quòd fuit divinâ virtute
 corpori reinfusus, quia virtus angelica non videtur ad hoc sufficere, ut illum tam repen-
 te dispergeret ad singula loca. Invenias imagines Crucifixi cum angelis, qui sangui-
 nem effluentem calicibus excepiunt. *i*) Calvinianos, Photinianos, Schvvenck-
 feldium, Andr. Osiandrum, P. Samosatenum Vid. Derfchovv. l. d. §. 48. 49. Haber-
 korn in 1. Joh. 1. v. 7. p. 31. 37. *k*) Iliad. E. p. m. 178. *l*) verba sunt Hunnii c.
 14. de sacram. Tom. I. oper. f. 1181. Adde Derfch. & Haberk. d. l. *m*) Tangit hanc
 non tam suæ, quàm alienæ scholæ opinionem Thomista Prierias Tract. 3. Aur. Ros.
 q. 33. eamq; confirmat ex opinione Medicorum, statuentium, in animalib. de ali-*

reliquiis deprehenderetur, aiebant esse de sanguine, quia superfluum
jam esset, non resumpto. At verò Thomistæ, quorum Patriarcha
dixisset, sanguinem in passione effusum, fuisse totum reassumptum
n), magis hinc sudabant. Itaque unus eorum alterve negabant, quic-
quam divini sanguinis in terrâ superesse. Quod eos fecisse Silvester
quoque Prierias ex eadem familiâ concedens, negat interim unquam
hanc sententiam ordinis Prædicatorii factam fuisse communem o):
ipse autem operosè, perque magnas ambages p) hoc agit, ut emen-
titas illas reliquias etiam in viâ Thomæ defendat. Quem jam sub-
excusat q), ut qui vixerit ante determinationem Pontificis & san-
guinem Magdalenum r); jam distinctione adjuvat s) inter sangui-
nem radicalem, de quo solo Thomas locutus sit, & nutrimentalem,
quem in terrâ residuum esse non negaverit. Sed omnium opti-
mè nodum hunc secuerunt Johannes Muntziger t), Johannes Wun-
schelbergius u), Henricus Token x), Johannes Hussus y) & alii

z), qui
mento plus semper sibi retinere naturam quam sit necesse non solum ad vivere, sed
etiam ad consuetam restorationem. Scotistas autem sic sensisse haud temere con-
jicio ex his Cassandri verbis ad hymn. Eccl. p. 257. ubi agit de sanguine Brugen-
si, qui existimatur pars esse sanguinis illius, qui est Christi corpore, priusquam sepelire-
tur, exterius fuerit. *De hac re, inquit, inter Theologos non convenit. Nam Thomas
asserit, Christum resurgentem universum sanguinem, qui de suo corpore fluxerat, ad
se suscepisse; Franciscus verò Maronis (hunc Scotistam fuisse certum habeo,) contra
opinatur, non inconueniens esse, si de Christi cruore fuso aliquid relictum dicatur,
forte, quia corpus in vitâ incorruptibili non tanto indigeat sanguine, quanto in vitâ
mortali.* Pergit Cassander: *In hoc opinionum diffidio vide num tutius & expeditius
sit, Christi monitioni obsequentem cum Judæis adorare quod scias, quam cum Sama-
ritanis adorare quod nescias.* n) in 5. quodl. cit. Prier. d. l. q. 32. Vid. & quæ
modò è Cassandro citabamus. o) d. l. q. 34. *Ex prædictis patet, quod ordo Præ-
dicatorum nunquam suscepit in communi ad sustinendum, nihil de sanguine Christi esse
in terrâ, licet forte aliquis frater in particulari hoc fecerit.* p) Dispergit enim
controversiam in quæstiones quinque, q. 30. 31. 32. 33. 34. & occasione primæ quæstio-
nis inserit totum propè opusculum, (quod alibi fortasse frustra quæras) trium
Prædicatorum, Jac. de Brixia, Gabr. de Barchinonâ, & Vercellini de Vercellis, super
hâc ipsâ quæstione: *Utrum in triduo mortis Christi divinitas verbi fuerit unita san-
guini personaliter?* conscriptum jussu Pii II. cum coram eo A. 1463. in ipso festo
Natalis Domini (tempus hoc disco è Derschovv. s. 48. de sang. Christi,) acerrimè hâc
de re disputavissent. q) q. 32. r) de quo supra lit. b. hujus alphab.
s) ibid. ipsa distinctio præcesserat q. 31. t) Rector Scholæ Ulmenis. u) Do-
ctor Theologiæ. x) Canonicus Magdeburgensis. His tribus occasionem ape-
riendi oculos dedisse videtur impostura sanguinis VVilsnacensis, de quo supra lit.
t. u. Videndi autem de illis Flac. Catal. test. ver. p. 782. 907. 966. & VVolf. l. Mem-
f. 690. 691. 728. 803. y) Hic peculiarem tractatum conscripsit contra illorum ab-
22

2), qui veteratorias fraudes conficti cruoris detexerunt, quantumque in se fuit, declamando, scribendo, hortando fibulam imposuerunt errori. Nos verò per Dei gratiam in eâ jam sumus Evangelii luce constituti, ut hâc in re monitoribus carere videamur posse. Religiosè veneramus pretiosissimum cruorem, quo redempti sumus: Sed in rancidis illis scrutatorum capsis eum non quærimus. Quare à craftino etiam Oratore nostro, cui cathedram inferiorem patere iussimus, eruditâ pietate & probis moribus præstanti Juvene, JO. DAVIDE STAPENIO Lipsiensi, nemo exspectet, ut ad Falsariorum, quos descripsimus, sacrilegas pyxides Auditorem mittat. Verè potius Lutheranum sermonem, de *vulneratissimo quidem, sed optimo Chirurgo JESU CHRISTO*, quisquis interfuturus est, ex Chirurghi non incelebris filio auscultabit. Quod ut facere placeat Rectori Magnifico & Proceribus Academiæ, Facultatumque omnium Viris honoratis cum flore Studiosæ Pubis, observantiam vicissim nostram, obsequia cum officiis, & amore polliciti, etiam atque etiam rogamus. PP. propriè Paschatos d. 5. April. A. 1667.

ritiam & deceptionem quæ sanguinem aliquem Christi ab eo in resurrectione non reassumptum sed in terrâ localiter & visibiler existentem, ad generationem ostendebant, Haberk, p. 36. ad. 1. Joh. 1. 2) Egidius Faber scripsit librum von dem falschen Blut und Abgott in Thum zu Schwerin (suprà lit. n.) in quem præfatur Lutherus A. 1533. Tom. VI. Jen. Germ. f. m. 117: Videtur & Cassandro aliquid suboluisse, cujus judicium quare suprà lit. m.

Literis WITTIGAVIANIS.

DD A 6358

ULB Halle 3
002 920 387




Sb.

Reho ✓ 1077

Handwritten text on a red-lined strip, possibly a library stamp or title, including the letters 'A' and 'R'.





Handwritten text on the spine, likely the title or author's name, rendered in a Gothic script. The text is partially obscured by wear and tear, but some letters are visible, including a prominent red initial.



74

DECANUS
 FACULTATIS PHILOSOPHI-
 CÆ IN ACADEMIA
 LIPSIENSI
Lectorem Benevolum
salutat,
 & ad auscultandam
 in Vigiliâ Paschatos
 post signum octavæ horæ datum
 matutinam Orationem,
 in Auditorii Philosophici
subsellia officiosè
 invitat.

15.

